Cum autem sicut pro parte Communitatis, & hominum Ciuitatis nostræ Ferrarien. prædictorum. Nobis nuper expositum fuit, decennium per dictum Gregorium XV. prorogatum, vt præfertur de præsenti mense Septembris sit expiraturum, ex redditibus verò gabellarum prædictarum nauigatio dictæ fossæ, cum maximo introductionis mercium in dictam Ciuitatem commodo manuteneatur, & ad hunc effectum redditus huiusmodi minimè sufficiant, Nobis propterea exponentes prædicti humiliter supplicari fecerũt, vt tempus decennij huiusmodi ad viginti annos proximè futuros prorogare, & alias in præmissis ipsis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictorum exponentium commodis, & vtilitatis, quantum cum Domino possumus consulere, ipsosque specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volen., & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, & huiusmodi supplicationibus inclinati. Exponentibus prædictis assignationem dictarum gabellarum, ipsis vigore Chitographorũ præinsertorũ concessam, & prorogatam, vt præfertur ad alios viginti annos, à die prima mensis Octobris proximè futuri inchoandos cum modis, & formis, quibus ijdem exponentes gabellas prædictas de præsenti exigunt, seu exigi curant, aliasque pro vt in dictis Chirographis, & iuxta illorum dispositionem, & præsertim posterioris Chirographi, dicti

I Pauli

Pauli Prædecessoris Apostolica auctoritate tenore præsentium extendimus, & prorogamus. Et insuper ijsdem exponentibus facultatem augendi dictas gabellas, pro sexta parte iuxta posterioris Chirographi dicti Pauli Prædecessoris tenorem, & continentiam, & ea lege, vt augmentum huiusmodi finitis dictis viginti annis omninò cesset, & supprimatur, cessatumque, & suppressum esse censeatur auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & impartimur. Quocirca dilectis filijs nostro in Ciuitate, & Statu Ferrarien. nunc, & pro tempore existenti de Latere Legato, eiusque Vicelegato, eorumque, & cuiuslibet ipsorum Locumtenentibus, & Auditoribus cœterisque Officialibus, & Iustitiæ ministris, quouis nomine nuncupatis, per easdem præsentes mandamus quatenus dictis exponentibus in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes præsentes nostras litteras huiusmodi, & in eis contenta, firmiter, & inuiolabiliter obseruent, & ab omnibus ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum obseruari, eosdemque exponentes præsentium huiusmodi effectu vti, frui, potiri, & gaudere faciant, non permittentes illos super præmissis in quoquam quouis prætextu molestari, inquietari, perturbari, vel impediri. Non obstan. omnibus, & singulis quæ dicti Prædecessores nostri in præinsertis eorum Chirographis voluerunt non obstare, cœterisque contrarijs quibuscunque, &c.

Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris Die xxviij. Septembris M. DC. XXXVII. Pontificatus Nostri Anno Decimo quinto.

M. A. Maraldus.

BRE

BREVE

Sanctiſsimi D. N. Papæ

VRBANI VIII.

In Quo

Tribuit facultate Em., & Reuer. Cardinali Roccio de Latere Legato,

Abſoluendi homines Communitatis Ferrariæ, à Cenſuris, & pœnis incurſis ob impoſitionem, & exactionem Gabellarum.

Dilecto filio Cyriaco tit. S.Saluatoris in Lauro Præsb. Card. Roccio nuncupato Noſtro, & Sedis Apoſt. in Statu Ferrarien. de Latere Legato.

Vrbanus PP. VIII.

DILECTE fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Alias dilecto filio noſtro Stephano Sancti Laurentij in Pane, & Perna Presbytero Cardinali Duratio nuncupato, noſtro, & Sedis Apoſtolicæ tunc in Ciuitate, & Statu Ferrarien. de Latere Legato, omnes, & ſingulos gabellarum per eum ad fauorem Communitatum, ac Vni-

uer-

uersitatum, & hominum Ciuitatis, & Statu prædictorum impositaium participes, illarumque impositiones ab eodem Stephano Cardinale ad alium effectum factas exequentes, quàm pro dissolutione æris alieni per Communitates, ac Vniuersitates, & homines prædictos contracti à censuris, & pœnis per ipsos ea propter incursis absoluendi facultatem sub certis modo, & forma tunc expressis, concessimus, pro vt in nostris in simili forma Breuis desuper sub die xvj. Octobris proximè præteriti expeditis litteris, quarum tenorem præsentibus, pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem. Sicut pro parte Communitatum, Vniuersitatum, & hominum huiusmodi, Nobis nuper expositum fuit, dictus Stephanus Cardinalis facultate huiusmodi vsus non sit; Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt. Vt in præmissis opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur Exponentes ipsos specialibus fauoribus, & gratijs prosequi Volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium, dumtaxat consequen. harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati. Circumspectionem tuam, quòd ad facultatem illos, qui in exactione, & impositione gabellarum huiusmodi participes fuerunt à censuris, & pœnis huiusmodi, quas eam ob rem incurrerunt, imposita illis aliqua pœnitentia salutari, absoluendi prædicto Stephano concessam, vt præfertur, in locum eiusdem Stephani Cardinalis Apostolica auctoritate, tenore præsentium subftituimus, & subrogamus. Non obstantibus omnibus illis, quæ in prædictis nostris litteris voluimus non obstare, cæterisque contrarijs quibuscunque, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die xvj. Aprilis M. DC. XXXVIII. Pontificatus Nostri Anno Decimo quinto.

M. A. Maraldus.

BRE-

BREVE
Sanctissimi D. N. Papæ
VRBANI VIII.
In Quo
Ampliat Montem Sanitatis ad alia loca trecenta.

Vrbanus Papa VIII.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM. Aliàs per Nos accepto, quod dilecti filij Iudex, & Magistratus Sapientum Ciuitatis nostræ Ferrarien. ad auertendam, quantum diuinæ placuisset misericordiæ contagionem, in non nullis Lombardiæ partibus tunc grassantem, varia, atque grauia expensarum onera subibant, Nos vt Iudex, & Magistratus prædicti præmissa facilius, & minori quo fieri posset eorum incommodo peragere valerent, pro nostri Pastoralis officij debito opportunè prouidere volentes per nostras in simili forma Breuis, die decimasexta Septemb. M. DC. XXX. hac super re expeditas litteras, eisdem Iudici, & Magistratui, vt in prędicta Ciuitate dumtaxat, vnam duorum quatrenorum cum dimidio alterius similis quatreni monetæ illarum partium, super

qualibet libra Salis, & aliam gabellam tertiæ partis vnius bolognini super qualibet libra Olei imponere, eamque à quibuscunque personis, tàm Sæcularibus, quàm Ecclesiasticis, ac cuiusuis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam Mendicantium vtriusque sexus Regularibus, Hospitaliumque, & aliorum locorum Piorum, etiam quocunque immunitatis, exemptionis, vel alio quouis priuilegio suffultis, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret exigere liberè, & licitè possent, & valerent, licentiam, & facultatem concessimus, & impartiti fuimus. Præterea super gabellis imponendis huiusmodi, illarumque exactione, & annuo redditu, qui vt asserebatur ad summam septem circiter millium scutorum monetæ ascensurus erat, vnum montem temporalem non vacabilem, & extinguibilem mille locorum cum annuo redditu, sex scutorum monetę Ferrarien pro quolibet loco, ex quibus quidem mille locis trecenta, & quinquaginta dumtaxat per Iudicem, & Magistratum prædictos, reliqua verò sexcenta, & quinquaginta loca huiusmodi, non nisi de nostra, seu pro tempore existentis Romani Pontificis licentia vendi possent, pecuniæ verò ex eorundem locorum montium venditione prouenientes, in alios vsus, quam ad auertendam, quantum Deo propitio fieri posset, præfatam contagionem, seù æris alieni ea de causa contracti extinctionem, seù pro vt à Nobis desuper mandatum foret, sub excommunicationis latæ sententiæ, & alijs arbitrij nostri pœnis conuerti nequirent, ereximus, & instituimus, aliaq; concessimus, voluimus, statuimus, & fecimus, & subinde die 28 eiusdem mensis Septemb. per alias nostras, etiam in simili forma Breuis litteras decreuimus, quod primo dictæ nostræ litteræ, cũ omnibus, & singulis in eis contentis, etiamquoad Territor. seù Districtum dictæ Ciuitatis omninò valerent, quodq; Iudex, & Magistratus præfati gabellas huiusmodi etiam in Territorio, seu Districtu dictæ Ciuitatis imponere, & eas iuxta primodictarum litterarum formam exigere valerent, perinde ac si in eisdem litteris prædictis, quod ipsi Iudex, & Magistratus gabellas huiusmodi in Ciuitate, & Territorio, ac Districtu præfatis, vt præfertur, imponere, & exigere possent, expressè concessum fuisset, indulsimus, & ad eundem effectum, quatenus opus foret, primodictas litteras nostras cum omnibus, & singulis in eis contentis ad Districtum, seù Territorium dictæ Ciuitatis extendimus, & ampliauimus, pro vt in præfatis litteris quarum tenore præsentibus, pro expressis haberi volumus vberius continetur. Cum autem sicut pro parte dictorum Iudicis, & Magistra-

ſtratus Sapientum Ciuitatis Ferrarien. prædictæ nobis nuper expoſitum fuit, perſonæ Eccleſiaſticæ à ſolutione dictarum gabellarum, pro rata mille locorum prædictorum iam à duobus annis citrà liberati, & exempti fuerint, & ſint, & è locis mille præfatis, viginti quinque, pro quorum fructibus centum, & quinquaginta circiter ſcuta annua ſoluebantur, extincta ſint, redditusque annuus earundem gabellarum ad ſummam octo millium, & quinquaginta circiter ſcutorum aſcendat, ita vt ſolutis annuatim ex redditu gabellarum, huiuſmodi fructibus, tam reliquorum ex præfatis mille locorum, quàm aliorum trecentorum, quæ Iudex, & Magiſtratus prædicti, eidem monti per Nos addi deſiderant, ſi ad hunc effectum applicetur emolumentum Datij offirij damnorum datorum, quod ſpectat ad ipſam Ciuitatem vti ei propriò conceſſum à fel. rec. Clemente PP. VIII. Prædeceſſore noſtro, & nulli alteri oneri applicatum ſexcenta circiter ſcuta quotannis pro facienda Montis huiuſmodi extinctione ſint remanſura, ipſi verò Iudex, & Magiſtratus, vt damna ex nuper à fluminis Padi inundatione in Territorio, ſeù Diſtrictu huiuſmodi accepta reſarcirent, varium æs alienum contraxerint periculumqne ſit ne liquata verè proximo altiſſima in montibus niue, idem flumen rurſus intumeſcat, & erumpat, niſi eius aggeres pluribus in locis corroſi quantocitius reparentur, Iudex autem, & Magiſtratus prædicti pecunijs ad præmiſſa neceſſarijs planè careant, nec alia commodiori ratione illæ cogi poſſent, quam ſi mons prædictus ad alia loca trecenta augeatur. Nobis propterea ijdem Iudex, & Magiſtratus humiliter ſupplicari fecerunt, vt in præmiſsis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremus. Nos igitur Ciuitatis, & Territorij huiuſmodi indemnitati in ſubſidium, ac præter, & vltra aſsignamenta, & contributiones, quæ à quolibet intereſſe habente in reparationes huiuſmodi præſtantur, & præſtari debent conſulere, ipſoſque Iudicem, & Magiſtratum ſpecialis fauore gratiæ proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes huiuſmodi ſupplicationibus inclinati citra exemptionem à contributionibus, & aſsignamentis prædictis, quæ ab ijs ad quos ſpectat, omninò præſtari volumus, ac firmis, & in ſuo robore remanentibus, omnibus, & ſingulis oneribus, & decretis appoſitis in erectione dicti montis,

 litte-

litterisque nostris desuper emanatis, eundem montem ad alias portiones, seù alia loca trecenta cum annuo redditu sex pariter scutorum pro quolibet loco, quæ quidem loca trecenta per Iudicem, & Magistratum præfatos vendi possint, pecuniæ verò ex eorundem trecentorum locorum venditione prouenientes in alios vsus, quam æris alieni præfati extinctionem, aggerumque præfatorum reparationem, cum interuentu dilecti filij nostri Martij Sancti Angeli in foro piscium Diaconi Cardinalis Ginetti nuncupati nunc, & pro tempore existentis nostri, & Apostolicæ Sedis in Ciuitate, & Ducatu nostris Ferrarien de Latere Legati, ac pro illa summa quæ erit necessaria, sub excommunicationis latæ sententiæ, & alijs arbitrij nostri pœnis conuerti, & erogari nequeat, Apostolica auctoritate tenore præsentium seruata in reliquis earundem litterarum forma augemus, & ampliamus, ac litteras nostras prædictas, omniaque, & singula in eis contenta, ad eadem trecenta loca in omnibus, & per omnia perinde, ac si in præfata montis huiusmodi erectione comprehensa essent, auctoritate, & tenore prædictis, extendimus, necnon Iudici, & Magistratui prædictis, vt easdem gabellas etiam à personis Ecclesiasticis Sæcularibus, & Regularibus supra nominatis, & expressis pro rata eorum dictorum trecentorum locorum dumtaxat exigere liberè, & licitè possint, & valeant licentiam concedimus, emolumentumque ex Datio offitij damnorum datorum, huiusmodi percipiendum dicti Montis vltra id, quod ex redditu dictarum gabellarum supererit applicamus. Non obstan. præmissis, ac omnibus illis, quæ in eisdem nostris litteris voluimus non obstare, cœterisque contrarijs quibuscunque; Volumus autem quod adueniente tempore extinctionis montis huiusmodi, Ecclesiastici primò loco à solutione dictarum gabellarum omninò liberentur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris Die VI. Martij M. DC. XXXXI. Pontificatus Nostri Anno Decimo octauo.

M. A. Maraldus.

BRE-

B R E V E
Sanctissimi D. N. Papæ
VRBANI VIII.
Pro

Impositione duorum quatrenorum pro qualibet libra carnis venalis in Ciuitate, & Ducatu Ferrariæ.

Vrbanus PP. VIII.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM. Cum dilecti filij Iudex, & Magistratus Sapientum Ciuitatis nostræ Ferrarien. pro singulari eorum in Nos, & hanc Sanctam Sedem fide, tres equitũ Cataphractorum turmas centum virorum pro qualibet pro nostro, & Sedis Apostolicæ seruitio conscribere, & donec Sedes prædicta arma in promptu, siue extraordinarias militum copia tenuerit, belloque seu illius periculo, & suspicione durante, & vt vulgò dicitur, à guerra finita, ma-

manutenere sumptibus eiusdem Ciuitatis nobis obtulerint. Nos, quò eidem Ciuitati pecuniæ ad id necessariæ iugiter suppetant, & illæ minori, quò fieri potest incommodo cogi possint, quantum cum Domino possumus opportunè prouidere, ac Iudicem, & Magistratum huiusmodi specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eisdem Iudici, & Magistratui, vt in Ciuitate, & Ducatu prædictis vnam duorum quatrenorum monetæ illarum partium pro qualibet libra carnis, cuiuscunque speciei in Ciuitate, & Ducatu huiusmodi mactandæ, & venalis gabellam imponere, eamque à quibuscunque personis Sæcularibus, etiam suffultis quacunque exemptione, immunitate, & priuilegio quauis auctoritate, etiam Apostolica, eis concessis, non autem ab Ecclesiasticis, qui à gabellæ huiusmodi solutione prorsus liberi, & exempti esse debeant, citra quamcunque fraudem tamen, sub pœna excommunicationis, eo ipso absque alia declaratione incurrendis per eosdem Ecclesiasticos, si aliquid in fraudem eiusdem gabellæ fecerint, exigere, seu exigi facere liberè, & licitè possint, & valeant Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus, ac vt pecuniæ prædictæ promptius haberi posint, eandem Ciuitatem cum asignamento reddituum, & prouentuum ex gabella prædicta, illiusque exactione percipien. ad septingenta loca non vacabilia Montis Communitatum tertiæ erectionis in hac Alma Vrbe nostra admittimus, aut si magis è re ipsius Ciuitatis Ferrarien. fore dictis Iudicis, & Magistratui visum fuerit, Montem Sanitatis nuncupatum in dicta Ciuitate aliàs Apostolica auctoritate erectum ad septingenta loca prædicta, cum dote, & asignatione eorundem reddituum ex gabella prædicta, vt præfertur, percipiendis, ita vt loca huiusmodi sint eiusdem omninò naturæ, qualitatis, & speciei, ac eadem priuilegia, exemptiones, immunitates, prærogatiuas, concesiones, indulta, facultates, auctoritates, & gratias alijs, prædictorum montium respectiuè locis data, & concessa habeant, & tam hæc, quam illa, equaliter, & indistinctè vnum corpus instituant, perinde ac si à principio ex primeua erectione eorundem respectiuè montium omnia in simul instituta fuissent, auctorita-


te,

te, & tenore prædictis extendimus, & ampliamus; Ac ipsis Iudici, & Magistratui septingenta loca prædicta personis iuxta erectionem dictorum respectiuè montium capacibus vendendi, ita tamen vt pecuniæ ex venditione huiusmodi prouenien. partim in manutentionem, stipendiorumque solutionem dictarum trium Turmarum equitum ad rationem vnius anni, & partim in vtensilia pro militibus nostris illuc in Hyberna missis, & mittendis, ac in munitiones confinium dicti Ducatus, & Padi agerum reparationes, & non alios vsus omninò conuerti debeant, eisdem auctoritate, & tenore licentiam impartimur. Nec non ex nunc omnes, & singulos redditus, & prouentus ex dicta gabella vigore præsentium imponendis, illiusque exactione, vt præfertur facien. prouenturos, pro dote dictorum septingentorum locorum, & illorum fructuum solutione, applicamus, appropriamus, & assignamus. Decernentes præsentes litteras, validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios. & integros effectus sortiri, & obtinere, & ita in præmissis per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, etiam de Latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & deffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quibusuis Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, & præsertim fel. rec. Simmachi, quæ incipit. Non liceat; & aliorum Romanorum Pontificum prædictorum nostrorum, ac etiam in vniuersalibus, Prouincialibusque, & Synodalibus Concilijs Editis generalibus, vel specialibus, nec non dictæ Ciuitatis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, exemptionibus, & litteris Apostolicis sub quibuscunque tenore, & formis, ac cum quibusuis derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, et innouatis. Quibus omnibus, et singulis etiam si pro sufficienti illarum derogatione de illis, eorumque totis tenores specialis, specifica espressa, et indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quauis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hòc seruan. foret, tenoris huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omis-

omiſſo, et forma in illis tradita obſeruata exprimerentur, et inſererentur præſentibus pro plene, et ſufficienter expreſsis, et inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum dumtaxat, ſpecialiter, et expreſsè derogamus, cæriſque contrarijs quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris die xxvij. Nouembris M. DC. XLI. Pontificatus Noſtri Anno Decimo nono.

M. A. Maraldus.



B R E

BREVE

Sanctissimi D. N. Papæ

VRBANI VIII.

In Quo

Tribuit facultatem Em.^mo & R.^mo D. Card. Ginetto, & pro tempore existenti in Ciuit. & Ducatu Ferrar. de Latere Legato.

Puniendi Ecclesiasticos fraudantes Breue eiusdem Sanctissimi Pro impositione duorum quatrenorum pro qualibet libra Carnis.

Dilecto filio nostro Martio S. Angeli in Foro Pisciũ Diacono Card. Ginetto nũcupato Nostro, & Apost. Sedis in Ciuitate, & Duc. Ferrarien. de Latere Legato nunc, & pro tempore existenti.

Vrbanus PP. VII.

DILECTE fili noster salutem, & Apostolicam benedictionem. Nuper cum dilecti filij Iudex, & Magistratus Sapientum istius nostræ Ciuitatis Ferrarien tres equitum Caraphractorum turmas centum virorum pro qualibet, pro nostro, & Sedis Apostolicæ seruitio conscribere, & donec Sedes Apostolica arma in promptu, siue extraordinarias militum copias tenuisset, belloque, seu illius periculo,

lo, & suspicione durante, seu, vt vulgò dicitur, à guerra finita, manutenere, sumptibus eiusdem Ciuitatis obtulissent Nos quo dictæ Ciuitati pecuniæ ad id, & pro alijs Ciuitatis, & Ducatus huiusmodi vsibus tunc expressis necessariæ iugiter suppeterent, prouidere volentes; Eidem Iudici, & Magistratui, vt in Ciuitate, & Ducatu Ferrarien. vnam duorum quatrenorum monetæ illarum partium, pro qualibet libra carnis, cuiuscunque speciei in eisdem Ciuitate, & Ducatu huiusmodi mactandæ, & venalis, gabellam imponere, eamque à quibuscunque personis Sæcularibus, & suffultis quacunque exemptione, immunitate, & priuilegio quauis auctoritate, etiam Apostolica eis concessis, non autem ab Ecclesiasticis, qui à gabellæ huiusmodi solutione prorsus liberi, & exépti esse debeant, citra quamcunque fraudem tamen, sub pœna excommunicationis eo ipso, absque aliqua declaratione incurren. per eosdem Ecclesiasticos, si aliquid in fraudem eiusdem gabellæ fecerint, exigere, seu exigi facere liberè, & licitè possent, & valerent, concessimus, & alias pro vt in nostris in simili forma Breuis die xxvij. Nouembris M. DC. XLI. desuper expeditis litteris, quarum tenorem præsentibus pro expressis haberi volumus, vberius continetur. Nunc autem contra personas Ecclesiasticas, quas aliquid in fraudem gabellæ huiusmodi comisisse pro tempore deprehensum fuerit, via iuris procedi volentes supplicationibus eorundem Iudicis, & Magistratus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Circumspectioni tuæ per te, vel alium, seu alios ad id à te deputandos contra quascunque personas Ecclesiasticas, tàm Sæculares, quàm cuiusuis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti Regulares quomodolibet qualificatas, & quacunque dignitate fulgentes, ac quantumuis priuilegiatas, & exemptas, etiam tales, de quibus expressa in litteris nostris mentio facienda esset, si quas in fraudem gabellæ prædictæ aliquid commisisse hactenus, & in futurum committere compereris, ad declarationem incursas pœnæ excommunicationis prædictæ proceden. pœnamque huiusmodi legitimis desuper habendis, seruatis processibus cõtra easdem personas culpabiles repertas aggrauandi, & reaggrauandi, & quicquid contra eas statueris, debitæ executioni vsque ad condignam satisfactionem demandan., seu demandari faciendi, aliaque in præmissis necessaria, & quomodolibet opportuna gerendi, agendi, & exequendi facultatem inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij Sæcularis, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & impartimur. Non obstan. fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. Prædecessoris nostri de vna, & Conci-

lij

lij generalis edita de duobus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, alijsque Apostolicis, ac vniuersalibus, Prouincialibusque, & Syncdalibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, nec non quorumuis Ecclesiasticorum, Ordinum, Congregationis, & Institutorum regularium, etiam Societatis Iesu, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque exemptionibus, immunitatibus, indultis, & litteris Apostolicis huiusmodi, ac Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societate prædictis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus in genere, vel in specie in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium tenore præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectū specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die xviij. Ianuarij M. DC. XLII. Pontificatus Nostri. Anno Decimo nono.

M. A. Maraldus.